



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis

Palma, Luis de la

Antverpiae, 1637

Declarantur reliqua Exercitia secundæ Septimanæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50934)

pâ , aut cum diuinæ Maiestatis offensâ fiat. Secunda, ne ego iustam iis iniuriis dem occasionem. Quod etiam dicitur in Examine cap. 4. §. 44. vnde, sicut dictum est, hauritur eadem illa huius Exercitij doctrina.

SEXTVS DIES.

*De reliquis Exercitiis secundæ
Septimanæ.*

Mirabilis est modus quem S. Pater noster seruat, vt nos quasi manu ducat in hac secundâ Septimanâ ad summum perfectionis; de quo, vt aliquid de eo intelligamus,

NOTEMVS PRIMO, Quòd eius intentio sit, vt exercitans disponat se ad sequendû Christum Dominum nostrum tamquam verum suum & legitimum Regem, à quo ad bellum illud cum hostibus suis ineundum amicè inuitatur. Deinde, vt firmiter proponat eum sequi in maximis periculis & laboribus;

verbi

verbi gratiâ , in contemptu diuitiarum
& amoris proprij , in contemptu ho-
noris, & amore iniuriarum & infamiæ,
& tandem in vera cordis humilitate.
Vt sic in animo suo diuitias contem-
nat , ametque paupertatem , vt etiam
paratus sit reipsâ easdem diuitias re-
linquere , & paupertatem amplecti , si
intelligat , hoc ipsum futurum ad ma-
ius Dei obsequium , & maiorem Dei
Domini nostri gloriam. Vt , si laus &
gloria diuinæ Maiestatis par foret , ad
maiorem tamen Christi Domini no-
stri imitationem eligat potius pauper-
tatem & infamiam , & reputari pro
stulto , quæ Christus Dominus noster
amauit atque amplexus est ; non au-
tem hisce contraria, quæ mundus tan-
topere amat & amplectitur. Et hic gra-
dus electionis , præterquam quòd ex
se valdè sublimis sit & pretiosus in
vitâ spirituali (vt sanctus Pater no-
ster benè notat in cap. 4. Examin.) est
præterea valdè efficax ad animam ex-
citandam , vt sanam electionem in
quo-

quocumque negotio, quantumuis graui & difficili, absque vlllo inordinatæ alicuius passionis periculo faciat.

NOTEMVS SECVNDO, Quòd etiam si Puncta illa perfectionis proponantur exercitanti se in omnibus istis Meditationibus, vt sciat quâ viâ ambulare, quò eniti, & quid prætereendere debeat; non tamen vis nobis statim inferenda est in omnibus istis propositis, sed paulatim, ordinatè & gradatim. Nam in Exercitio de Regno Christi collimatur præcipuè in resolutionem & propositum sequendi Dominum suos ad bellum vocantem: in Exercitio de duobus vexillis prætereeditur declaratio magis particularis, in quibus nempe rebus illud bellum consistat; & vt propositum illud generale Christum sequendi magis confirmetur, & lumen maius acquiratur, quò signa illa sui Ducis & hostis melius cognoscat, magis se in amore paupertatis, ignominia & humilitatis, vt dictum est, exercendo. Quia tamen iste diuitiarum contemptus non est,

est, nec esse potest verus & perfectus, nisi persona etiam decernat, eas re ipsâ, quando id necessarium foret, & Deus ad hoc eam vocaret, deserere. Et multi verè in eo decipiuntur, sibi persuadentes quòd paupertatem ament, quando nihil eis deest; & honoris contemptu delectentur, eumque ament, quando actu honorantur, magnique ab omnibus fiunt: & cum occasiones iam istius paupertatis & humiliationis actu subeundæ sese offerunt, retrahunt pedem, nolentes honores & diuitias quas possident deserere. Vt huic difficultati occurrat sanctus Pater noster, addit tertium aliud Exercitium, quod vocant de Tribus hominum classibus: in quo vrget illud solum Punctum; quòd is qui inordinatum hunc diuitiarum amorem ex animo suo eradicare intendit, debeat etiam esse dispositus ad eas re ipsâ deserendas, quando illud sciret ad maiorem Dei gloriam futurum. Et tandem in vltimo Exercitio, quod est de tribus
gra-

gradibus humilitatis ; colligit omnia illa proposita & resolutiones , easque ad maiorem perfectionem reducere conatur , dicens , quòd non tantum quando maior Dei esset gloria , sed etiamsi par ea foret , & æquale obsequium , potius tamen paupertatem & humiliationem actuale optare deberet , non ex alio capite , quàm vt sic magis accedat ad similitudinem Christi Domini nostri.

Praxim horum duorum subiungemus hîc breuiter.

*De tribus hominum classibus
sive differentijs, vt potissimam
partem amplectamur.*

ORATIO PRAEPARATORIA, vt
semper antehac.

PRAELVDIVM PRIMVM
fiat, propositis vice historiae tribus
homi-